gere volui, ut totam de Cometis doctrinã, breuibus iſtis libellis declaratam haberes. Sic autem diſpoſueram, ut primùm de ortu & natura eorũ diſputarem: deinde quid de efficiẽtia & ſignificatione rectè dici poſſet, oſtenderem. Nuper, id eſt, ante triduum, impreſſis iam libellis, intellexi, neſcio quo conſilio, naturalem hunc ordinem diſturbatũ, & ultimum in primum locum translatum eſſe. De qua re, ne tibi, vir ampliſsime, (aut alijs, qui fortè legent) admirationem parerẽ, monere te ſtatim volui. Quanquam nõ magnus eſt error, ſi modò qui leget, cum in præcedentibus aliquid dictum leget, id in ſequentibus traditum intelligat. Heidelbergæ 6. Kal. Mart. anno 1580.

THOMAS ERASTVS.